

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput I.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

benignus, longanimis, et multum misericors,
et poenitens super malitias hominum.

Tu Domine secundum multitudinem boni-
tatis tuae: promissisti poenitentiam et remis-
sionem iis, qui peccaverunt tibi, et multitudi-
ne miserationum tuarum decrevisti poeniten-
tiam peccatoribus, in salutem.

Tu igitur Domine Deus non posuisti poeni-
tentiam iustis, Abraham, Isaac, Jacob, aut iis, qui
tibi non peccaverunt: sed posuisti poenitentiam
propter me peccatorem, quoniam peccavi su-
per numerum arenae maris: multiplicatae sunt
iniquitates meae; et non sum dignus intueri
altitudinem caeli pro multitudine iniqui-
tatum mearum.

Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut
non possim attollere caput meum, et non est res-
piratio mihi; quia excitavi iracundiam tuam,
et malum coram te feci.

Non feci voluntatem tuam, et mandata
tua non custodivi: statui abominationes,
et multiplicavi offensiones.

Et nunc flecto genu cordis mei, precans à
te bonitatem. Peccavi Dñe, peccavi, et ini-
quitates meas agnosco.

Quare peto rogans te: remitte mihi Dñe;
remitte mihi, et ne simul perdas me cum ini-
quitatibus meis, neque in aeternum iratus refer-
res mala mihi, quia tu es Deus, Deus, inquam
poenitentium.

Pars II

Exercitia piissima ad illuminandam
mentem, et conservandū spiritum.

Caput I.

Documenta Christiana vitae ab omnibus fidelibus
seriâ mente consideranda.
ex Psalmis.

† Venite filii, audite me: timorem Domini
docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam beatam: di-
ligit dies videre bonos? *Quisquis es*

Prohibe linguam tuam à malo: et labia
tua, ne loquantur dolum.

Diverte à malo, et fac bonum: † inquire
pacem, et persequere eam.

23 † Innocens enim manibus, et mundo corde,
et qui non accepit in vano animam suam, nec
juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Dño, et mise-
ricordiam à deo salutari suo

33: Timeate ergo Dominum omnes sancti cul-
tores ejus: quoniam non est inopia timentibus
eum.

30 Diligite Dñm omnes sancti ejus: quonia
veritatem requirit Dominus, et retribuet
poenas abundanter † facientibus superbiam.

* confortabimini
104

Quarite Dominum, et confirmamini: qua-
rite faciem ejus semper.

62 Nolite sperare in iniquitate, et rapinas
nolite concupiscere: divitiae si affluant, noli-
te cor eis apponere.

36 Melius est enim modicum iusto super di-
vitiis peccatorum multas.

† Venite, non pedibus sed affectibus; inclina proinde au-
rem cordis tui, et monita hae piissimi Prophetæ, vel potius
Spiritus S. libenter excipe.

† inquire pacem, i.e. satage in mente tranquillitate ha-
bere, atq; cum proximo tuo concordia: maxime vero omnia
age et ordina, quatenus ad coelestis patris pacem perduci me-
rearis. Dionys.

† Innocens manibus i.e. in opere, et mundus in corde et qui
non occupat in vanitatibus facultates animæ suæ.

† facientibus i.e. contemnentibus, aut transgredientibus mandata Dei.

† Super divitiis. Plus prodest iusto modica substantia quam pecca-
tori ingentes divitiæ: atq; adeo magis expetenda est justitia cum exi-
guis opibus quam magna divitiarum copia cum injustitia. Ballar.

Jacta Super Dominum curam suam, et ipse 54
se eruet: non dabit in aeternum fluctua-
tionem justo.

+ Revela Domino viam tuam, et spera in 36
eo, et ipse faciet.

Spera in Domino, et fac bonitatem, et
pascaris in divitiis ejus.

Delectare in Domino, et dabit tibi peti- 26
tiones cordis tui

+ Subditus esto, et ora Domino; et ora 36
eum assidue.

Prope enim Dominus omnibus invocan- 144
tibus eum: omnibus invocantibus eum in
veritate.

Immola Deo sacrificium laudis: et red- 49
de altissimo vota tua: ait enim

Sacrificium laudis honorificabit me, 49
et illic est iter, quo ostendam illi salutare
Dei.

Qui facit haec non movebitur in aeternum 17

Exercitiū praesentiae Dñae.

Tanta est hujus exercitii necessitas, ut impossibile sit,
absq; eo in vitam spirituale evadere. Tanta vero ejus utilitas,
ut sit breve compendium perfectionis obtinenda. In veritate
didici, ait S. Bernardus, nihil aequè efficax esse ad gratiam promoven-
dam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inva-
niaris. Huc facit seria consideratio sequentium versiculorum.

1244. Magnus Dominus, et laudabilis nimis: et
magnitudinis ejus non est finis

+ Non dabit: i. e. non patietur unquam, ut justus malis obma-
tur. Geneb.

+ Revela: i. e. committe Deo omnia negotia tua, et ipse per-
ficiet omnia.

+ Subditus. Ille subditus Deo est, qui se submittit omnibus ejus
dispositionibus, et in cunctis adversis patientiam servat.

+ Non commovebitur, nampe hic vita ducet ab omni pertur-
batione expertem; illic vero perpetuam consequatur pacem.

138 Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ibi ades.

* mihi
138 Si sumpsero pennas* meas diluculo: et avolans habitavero in extremis partibus maris.

* Etiam * Etenim illuc manus tua deducet me: et tenebit me dextera tua.

Quo ergo ibo à Spiritu tuo? et quò à facie tua fugiam?

* operient Et dixi: forsitan noctis tenebra* conculcabant me: at nox est illuminatio meam in deliciis meis.

* apud te Quia tenebra non obscurabuntur* à te: et nox sicut dies illuminabitur.

89 Posuisti enim iniquitates nostras in conspectu tuo: et saeculum nostrum in illuminatione vultus tui.

7 Consumetur verò nequitia peccatorum et diriges justum in bono: scrutans corda; et renes Deus.

32 Ecce enim oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia eius.

19 Providebam igitur Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

22 Dominus enim regit me, et nihil mihi deerit.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae

+ in deliciis. Qui impuris vacant deliciis, noctis tenebras quarunt, ut à nemine videantur: at frustra; nam nox, quae apud Deum sicut dies lucida est, prodit eos in deliciis suis versantes.

+ saeculum. i. e. acta vita nostra in conspectu tuo sunt. Eòdem igitur redit hoc membrum. Unde S. Hieronymus pro saeculo ponit negligentias. Chaldaeus verò iniquitates.

91
mortis, non timebo mala, quoniam tu me-
cum es.

In te proiectus sum ex utero; nam deus ven- 21
tre matris mea deus meus es tu

Domus enim virtutum nobiscum: suscep- 48
tor noster deus Jacob.

Effundo iam in conspectu eius oratio- 141
nem meam: et tribulationem meam ante
ipsum pronuntio.

Juxta enim est Dominus iis, qui tribulato 33
sunt corde: et humiles spiritu salvabit.

Prope est Dominus omnibus invocantibus 144
eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

Dominus enim in circuitu populi sui, ex 124
hoc nunc et usque in seculum.

Domine ante te omne desiderium meum: et 39
gemitus meus à te non est absconditus.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te fa- 26
cies mea: faciem tuam Domine requiram.

Quia ecce, qui elongant se à te peribunt, 72
perdidisti enim omnes, qui fornicantur * deficiunt
abs te.

Mihi autem adhaerere deo bonum est:
et ponere in Domino deo spem meam.

Caput II Exercitium fidei.

Fundamentum Christiana religionis fides est, ubi haec lan-
quet, languent et bona opera, et virtutum studia; neque
enim ulla ratio est, cur tot fideles ad deo tepida vivant nisi quia
in eis deficit fides; et quia multi instigante diabolo id non
nunquam deveniunt ut de Christo, aut Mysteriis Chri-
stianis dubitare incipiant; ideo opera pretium esse
duximus praesentes actus ipsis suppeditare, quibus fi-
dem in se excitent, sed magis in ea stabiliant.